



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

I. Quibus hæc Conversatio incumbat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

H O R A II.

CONVERSATIO SACERDOTALIS.

I. Quibus hæc Conversatio incumbat.

Non solum curam animarum gerentes, verum etiam Sacerdotes simplices, cooperari oporteret ad salutem animarum, quod teste S. Chrysostomo, operum omnium divinissimum est: neq; illis occasio & tempus deesse poterit, siue domi, siue foris, presertim si negotia secularia vitaverint, juxta Apostoli doctrinam 2. Tim. 2. Nemo militans Deo implicat se rebus secularibus. Idem & intelligendum de Religiosis vite activa aut mixta ex instituto suo addictis, Concionatoribus, Confessariis, &c.

Si igitur à prandio circa horam primam vel secundam exire & cum proximo conversari vacet & libeat, conversatio hæc instituenda est, non ad tempus, nimis pretiosum, fallendum, sed ad spiritualem proximi utilitatem, & salutem animarum, vel per modum visitationis amicorum, vel instructionis rudium, vel conversionis A catholicorum, vel reconciliationis dissi-

dentium

dentium, vel consolationis afflictorum, captivorum, infirmorum providendo & premeditando, quâ viâ, quibus discursibus aut mediis intentum fructum spirituales referas.

II. Qualis esse debeat conversatio Sacerdotalis.

I. Conversatio sit innocua & sancta, ad animas Deo lucrandas directa; in qua agatur ut plurimum de rebus spiritualibus vitenturq; detractiones, laesiones charitatis, aliive lingua defectus.

II. Sit prudens, ut cujuscunque status hominibus sermonem prudenter attemperet; nullum verbum imprudens excidat; nec de rebus etiam sacris ad satietatem vel nauseam tractet: sed more S. P. Ignatii, sermonis initia aliis concedat. sibi reservet extrema: & Patris Friderici Spee exemplo, saltem in discessu, si aliâs occasio desit, pium & premeditatum aculeum non sine fructu alterius cordi insigebat.

III. Sit amabilis & grata, qua animos delectet, devinciat, atque ad fructum referendum disponat.

IV. Sit